Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26491
Copyright: Admont, Benediktinerstift



Ytiraz hebicarū.
Incipit lamentatio eiusdem prophete quem titulo enoch · i. absolutio

UOMODO SEDET SOLA CIVI ALEPH.
tas plena populo · facta est quasi uidua
domina gentium · Princeps prouinciarum
facta est sub tributo · BETH Plo
rans ploraut in nocte · & lacrime eius
in maxillis eius · non est qui consolet eam ex
omnibus carissimis eius · Omnes amici eius spreuerunt eam · & facti
sunt inimici · GIMEL · Migrauit iuda propter af
flictionem · & multitudinem seruitutis · Habitauit inter
gentes · nec inuenit requiem · Omnes persecutores eius ap
prehenderunt eam · inter angustias · DELETH · Vie sion
lugent · eo quod non sint qui ueniant ad sollempnitatem ·
Omnes porte eius destructe · sacerdotes eius gementes ·
Virgines eius squalide · & ipsa oppressa amaritudine · HE ·
facti sunt hostes eius in capite eius inimici eius locupletati sunt
quia dominus locutus est super eam · propter multitudinem iniquitatum eius
paruuli eius ducti sunt in captiuitatem ante faciem tribulan
tis · VAV · Et egressus est a filia sion omnis decor eius fac
ti sunt principes eius uelut arietes non inuenientes pascua · &
abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis · ZAIN · Et
Recordata est ierusalem dierum afflictionis sue & preuaricationis
omnium desiderabilium suorum quorum habuerant a diebus antiquis · cum ca
deret populus eius in manu hostili · & non esset auxiliator · Viderunt
eam hostes eius · & deriserunt sabbata eius · HETH Peccatum peccauit
propterea instabilis facta est · Omnes qui glorificabant speuerunt
illam quia uiderunt ignominiam eius · Ipsa autem gemens conuersa retro
sum · TETH Sordes eius in pedibus eius nec recordata est finis
sui · Deposita est uehementer non habens consolatorem · Vide domine
afflictionem meam quoniam erectus est inimicus · IOTH · Manum suam
misit hostis ad omnia desiderabilia eius · quia uidit gentes
ingressas sanctuarium suum · de quibus precepisti ne intrarent ecclesiam tuam ·
Omnis populus eius gemens · & quirens panem · Dederunt pretiosa quique pro cibo ad re
focillandam animam · Vide domine & considera · quoniam facta sum uilis